

itemque e *marinis* L. IX. C. 8. *Delphini* in homines amorem, & denique *ÆLIANVM* L. VIII. C. 4. *Crocodili* mansuetudinem, memorantes. Τη φύσει τη ἀνθρώπινη.) 1) Verba hæc vetus *Itala* male reert ad v. sequentem, vid. *MICHAELIS* ad h.l. 2) Vulgo Interpretes ista interpretantur in *Ablativo*, a *natura humana*, unde *PISCATOR* subaudiri vult ὑπο sed in *Dandi casu* omnia accipienda sunt, ut notetur *obedientia* eorum, quæ domantur, quasi diceretur: domantur & parent *naturæ humanæ*, hanc quasi *reveritiæ*, sec. 1. c. *Gen. IX, 2.* unde simul patet, *φύσει* hic non tam de *ingenio humano*, varias artes domandi excogitante, uti aliqui volunt, quam de ipsa *natura* hominis, cujus quædam in brutis etiam *reverentia* est, intelligendam esse.

§. XIX.

v. 8.

Τὴν δὲ γλῶσσαν ἐδαίς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι ἀκατάχρητον κακόν, μετὰ ἰὴ θανατηφόρον.

Τὴν δὲ γλῶσσαν) Qu. an intelligi hoc debeat de *lingua* cujusque *propria*, quod nullus hominum *propriam* suam *linguam* domare seu compescere queat, an potius de *aliena*, quod nemo *alterius*, adeoque *nemo alius nostram*, & vix ipse quisque suam, compescere possit; 1) Prius *GATAKERO*, *CAMERONI*, *BENSONIO*, *MICHAELI*, aliisque, placere video, ne vero objici queat, *pios* tamen *linguæ suæ* imperasse, *Num. XII, 3.* *2 Sam, XVI, 10.* *f. Pf. XXXIX, 1, 11.* *Prov. XXI, 23.* quod nisi fecissent, vana fuisset eorum *pietas*, teste

JACO-

JACOBO C. I, 26. quod si autem omnino lingua coerceri nequeat, peccata ejus homini non posse imputari, & frustra quoque in Scriptura *præcipi* linguæ coercionem, v. gr. Pf. XXXIV, 14. coll. I Petr. III, 10. limitationes aliquas subaudiendas putant, *ἄδεις, nullus, i. e. fere nemo, seu pauci, ut hyperbole* insit verbis, qualis & legatur Esaia LXIV, 7. Mich. VII, 2. vel *ἄδεις, nullus, ita, ut non aliquando labatur, vel, nullus hominum per se, suisque viribus, sine gratia Dei*; ita AVGVSTINVS, MENOCHIVS, TIRINVS, CAMERO, GATAKERVVS, CALOVIVS, BENSONIVS, MICHAELIS, qui omnes unam alteramve harum limitationum adhibent; *Augustino* MICHAELIS objicit, si in mente Apostoli fuisset hæc oppositio: *nullus* hominum potest, ut, cum domatur, *Dei* misericordia, *Dei* adjutorio, *Dei* gratia id fieri fateamur, (quæ *Augustini* verba sunt L. de N. & Gr. C. XV.) tum clarius utique JACOBVM eam propositurum fuisse; *Ipsè* vero, cum BENSONIO, ingentem modo hujus negotii *difficultatem*, vincendam tamen auxilio Dei, precibus impetrando, & acri mentis contentione, intelligi putat, subjiciens tandem, verba Apostoli forte non tam *adfirmantis* esse, quam *mirantis*, atque cum *signo exclamationis* legenda, in quo dicendi genere locus aliquis sit hyperbolicæ rei exaggerationi. Alii 2) dictum Apostoli de *lingua aliena* intelligunt, quod scilicet nemo *alterius* linguam domare possit; ita ESTIVS, GROTIVS, & BENGELIVS, qui tamen, licet *ἄδεις* exponat, *nemo alius,*
 MOX

mox addit: *vix quisque suam*; ut adeo utramque sententiam combinasse videatur, uti & DODDRIDGIVS in Paraphr. habet: *aber die Zunge kan kein Mensch gänzlich zähmen, weder seine eigene, noch anderer Zunge*; Ac sane *contextus*, una cum *scopo* Apostoli, utrumque requirere videtur; *Alterius* linguam intelligere jubet *contextus*, ubi de *feris* sermo est, quæ ab aliis domantur; Linguam vero *propriam*, *scopus* Apostoli, cui non tam propositum est, docere, quomodo *aliena* lingua sit coercenda, quam monere & monstrare, quomodo *propria* sit regenda; Videtur itaque generatim hic dici, quod *Lingua* sit malum incoercibile. Ουδεις δυναται ανθρωπων δαμασαι, Complures Theologi de *impossibilitate totali* id intelligunt, ut BROCHMANDVS, CALOVIVS, &c. cui δαμασαι plus dicit quam χαλιναγωγισαι ψ. 2. *frænare* quis, inquit, potest linguam, quanquam id satis sit difficile, nec nisi vir perfectus id valeat, sed *domare*, h. e. edomare penitus, nemo potest hominum; Nobis sic videtur: a) *frænare* & *domare* nimis subtiliter distingui. b) cum ανθρωπων h. ψ. & φυσικη ανθρωπινη ψ. 7. sine dubio sese mutuo respiciant, ibi autem *feræ* dicantur domari & parere *naturæ humanæ*, ut tali, & in se spectatæ, adeoque sibi relictæ, etiam hoc loco ανθρωπων notabit *homines sibi relictos*, non excluso ανδρι τελειω, qui ψ. 2. δυνατος dicitur χαλιναγωγισαι & linguam & totum corpus. c) quia ψ. 7. & 8. per γαρ subnectitur *comm. sexto*, ubi de lingua, *abs gebenna inflammata*, sermo erat, recte Apostolus ψ. 8. loqui censetur de lingua
tan-

tantum, quæ & quatenus igne infernali inflammata est, quam vix ac ne vix quidem, præsertim ab homine sibi relicto, domari posse, omnino asserere potuit. *Ἀκαταχέτον κακόν*) *incoercibile malum seu indomitum*; GROTIUS in *Nominativo* hæc accipit, ob sequentem nominativum *μῆνη*, indeque subaudit *ἔστι*, etiam in sequenti enunciato subaudiendum. Sed rectius *ἀκαταχέτον κακόν* construitur cum *τὴν γλῶσσαν* init. *ἢ* in *accusativo*, & a sequenti nominativo dirimitur per *colon*; Lingua in se *grande bonum*, si bene utaris, sed etiam *grande malum*, si abutaris. *Ἀκαταχέτος* LUTHERVS reddit *unrubig*; ex Vulgata Hieron. quæ vertit: *inquietum*, melius certe, quam Itala: *inconstans*, quasi legisset *ἀκατάστατον*, quod habetur C. I, 8. huj. ep. & quod etiam h. l. habet Codex Alex. cum alio quodam. Proprie significat, *coerceri nescium*, seu, sec. metaphoras *ἢ* 3, 4. *fræni & gubernaculi impatiens*; Valde apposite hic Interpretes conferunt *Phocylidis* illud *ἢ* 92.

Λαός τοι, καὶ ὕδωρ, καὶ πῦρ, ἀκατάχετα πάντα.

Vulgus, aqua, & ignis, omnia hæc coerceri nequeunt.

Atqui ignem antea JACOBVS etiam adpellaverat *linguam*. *μῆνη ἰς θανατηφόρον*) 1) *Nominativus* *μῆνη* non respondet *accusativis* præcedd. *τὴν γλῶσσαν* — *κακόν* adeoque vel subaudiendum *ἔστιν*, ut per se stet hæc propositio, vel construendus hic nominativus cum nominativis *ἢ* 6. ut *πᾶσα γὰρ* — *κακόν*, parenthesis quasi faciat; ita BENGELIUS in *Gnom.* Utrumvis

L

eli-

eligas, perinde est. 2) Ἴος varia significat, α) *rubiginem*, ut C. V, 3. *hujus ipsius Epistolæ*, unde κατιωται *ibid.* est *rubigine vitiatum*; Ἴος quippe in metallo est, quod *venenum* in carne. β) *Sagittam*, vel, quia descendit ab ἰνμι mitto, q. d. *missile*, vel quia Veteres, ut vulnus magis lethiferum hostibus infligerent, *veneno lethali sagittas tingere* sueverunt, ita ut Ἴος speciatim *sagittam venenatam* denotet, quemadmodum contra latinis *venenum* dicitur *toxicon*, a græco τοξον, *telum*; unde & SCHLICHTERVS in *Decimis SS.* pag. 101. suspicatur, alluisse Apostolum h. l. ad *sagittas Veterum venenatas*; nam γ) *Venenum* quoque notat Ἴος, *venenum*, inquam, in sensu malo sumtum, nam antiquitus erat vocabulum μεσον, æque *medicamentum* ac *venenum* denotans, perinde ut græcum φαρμακον. Quum autem lingua hic dicitur μεση ἰε, *plena veneno*, non tam alludi putamus ad *sagittas Veterum venenatas*, quamvis alibi in scriptura lingua maledica iis comparetur e. g. Ps. LXIV, 4. 5. CXX, 5. Prov. XXV, 18. XXVI, 18, 19. quam ad *serpentes*, virus, quod sub lingua gestant, morsu homini inspirantes, unde δρακοντες ἰοβολοι dicuntur Sap. XVI, 10. conf. Ps. CXL, 4. coll. Rom. III, 13. Coh. X, 11, 12. Certe & heic ψ. 7. per ἑρπετα *serpentes* maxime innuntur sec. *Vulgatum & Lutherum*. 3) Epitheton θανατηφορος, pro quo θανασιμος legitur, eodem sensu, Marc. XVI, 18. *poeticum* esse visum est ER. SCHMIDIO, sed idem & solutæ orationis scriptoribus in usu esse, Cl. ΚΥΡΚΙΥΣ ex *Diodoro Sic. Diony-*
sio

sio Hal. Plutarcho, & Fl. Josepho probat ad h. l. quin & LXX. illo utuntur Num. XVIII, 22. Hiob. XXXIII, 23. Quoad rem conf. Prov. XVIII, 21. ubi מוֹת וְחַיִּים בְּיַד-לִשְׁוֹן mors & vita in manu seu potestate linguæ esse dicitur.

§. XX.

v. 9.

Ἐν αὐτῇ εὐλογῶμεν τὸν θεὸν καὶ πατέρα, καὶ ἐν αὐτῇ καταρώμεθα τὰς ἀνθρώπους, τὰς καθ' ὁμοίωσιν θεῶ γεγονότας.

Ἐν αὐτῇ — ἐν αὐτῇ) Pro δι' αὐτῆς, quod Ebrais-
 mum non esse, sed purum Græcismum, ERASM.
 SCHMIDIVS EX ΜΥΣÆΟ, HOMERO & PINDA-
 RO probare vult *ad Hebr. I, 1.* sed vid. VORSTII Ph.
 S. P. I. pag. 172. Emphasin quoque habet repetitio
 phraseos, ostendit enim, linguam esse organon actio-
 num plane contrariarum; *Eadem lingua instrumentum*
est benedictionis, eademque etiam maledictionis.
 εὐλογῶμεν τὸν θεὸν καὶ πατέρα,) 1) Pro θεὸν Codex
 Alex. & Colb. 7. habent κυριον, uti etiam legisse vi-
 detur Syrus, & Latinus priscus; facilis nim. erat
 utriusque vocis confusio, ob crebrum usum, & eua-
 dem utriusque sensum; Recepta autem lectio vel ideo
 videtur pro genuina habenda, quia scriptoribus
 N. T. familiarius est, nomen Πατρός jungere nomini
 θεῶς, ut fieri quoque cernimus C. 1, 27. huj. Ep.
 quam nomini κυριε, cujus appositionis nullum, quod